



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica
Recapitvatio**

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

S. Lamberti mors, & Sedis per successorem S. Hubertum translatio. Cap.
XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

CHRONICA

Primi Frisorum Apostoli.

C A P. xv.

Sanctus Vulfridus episcopus Eboracensis siue Northumbrorum, episcopatu pulsus, Romam iuit, coram Apostolico papa causam dicturus: sed nauim concendens, flante Fauonio Frisiā appulit, ubi honorificè susceptus est à barbaris & rege Aldgislo, & multa eorum millia verbo veritatis instituit, & fonte salutari regenerauit: unde primus ibi per hyemem opus euangelicum cepit; quod postmodum reuerendissimus Vuillibrordus magna deuotione compleuit.

Aliquanto post, sanctus Ecbertus pater ac sacerdos Deo amabilis, & cum omni honorificentia nominandus, sitiens salutem Frisonum, cum strenuissimis socijs, & ad prædicandum idoneis, nauim ingressus est; sed diuina voluntas eum illi profectioni subtraxit ob aliam ecclesiæ utilitatem. Et unus tantum ex socijs, Vuigbertus, contemnū mundi & doctrinæ scientia insignis, in Frisiā peruenit, & duobus annis continuis genti illi, ac regi, sed sine profectu, verbum salutis prædicabat.

*s. Lamberti mors, & sedis per successorem s.
Hubertum translatio.*

C A P. xvi.

Pipinus Crassus Herstallus, secundus eo nomine dux Brabantiae, filius sanctæ Begghæ, Theodoricum regem capit anno sexcentesimo nonagesimo primo, & sub eo principando statum rerum meliorat. Frisos, capta eorum urbe Traiecto, sibi subiugat, qui nunquam antea didicerant

rant externo parere principi. Erant enim fidei hostes, & in odium Christiani nominis Franciam orientalem ferro & igni vastabant.

Regnabant tunc in Francia, Theodoricus iam dictus: obiit anno sexcentesimo nonagesimo tertio. Clodoueus tertius, eius filius: obiit anno sexcentesimo nonagesimo septimo; & Childebertus Theodorici filius; obiit anno septingentesimo decimo quinto.

Sanctissimus Lambertus, post septennium sui exilij, ex monasterio Stabulensi per Pipinum relocatur in sua sede, Traiecti ad Mosam. Sepulturæ tradidit S. Landradam virginem, quæ fundauit Belisiam monasterium, quod nunc est Canonistarum collegium. Sanctam Odam, viduam Boggis ducis Aquitanorum, ad seculi contemptum induxit. Quæ ecclesias sua munificentia passim ditans, beato fine quietuit, in monasterio suo Amarij apud Namurcum. Ad fidem conuerit Taxandros & Campinienses: vnde Apostolus Taxandriæ dici meruit.

Incudit postmodum gloriosus ille Pipinus in fœdum & publicum adulterium, vnde Lambertus, quibus potuit modis, cum reuocare laborauit. Quam ob causam Dodo, frater ipsius pellcis, Lambertum Legiæ, siue Leodij, in oratorio Cosmæ & Damiani orantem, gloriose martyrio intermit, cum consanguineis Lamberti Petro & Andoletio, anno sexcentesimo nonagesimo octavo.

Successit pretioso martyri, S. Hubertus, Roma diuina admonitione consecratus, qui filius erat Bertrandi ducis Aquitanæ, sed propter Ebrouini tyrannidem ad Pipinum confugerat. Mul-

tos ab

C H R O N I C A

tos ab idololatria ad fidem Christi conuertit, potissimum Brabantos, apud quos etiam Furæ obijſſe fertur, inter Louanium & Bruxellas. Anno septingentesimo decimo, cælitus admonitus, corpus sanctissimi martyris Lamberti, & sedem episcopalem transtulit ad villam Legiam, quæ martyrio, miraculis, & patrocinio tanti martyris nobilitata, nunc est primaria vrbs amplissimæ ditionis Leodiensis. Est autem S. Huberti corpus aliquanto post translatum in Arduennam, ad Andainum, celeberrimum monasterium, quod S. Borealis construxit tempore iam dieti Pipini Herstalli.

a. Imo constat ex historia per eius discipulum scripta.

SAXONUM ANTIQORUM PER ANGLOS CONUERSIO.

C A P. XVII.

Frisij.
Traiectini.
Hollandi.
Geldri.

SVb hoc principe, per Anglos, catholicam fidem receperunt Frisij, hoc est, ij qui nunc dicuntur Traiectini, Frisij, Groningenſes, Transſielani, Hollandi, & Geldri.

Sanctus quippe Egbertus iteratò attentauit aliquos ad Frisonum & Saxonum conuersionem destinare. Congregauit itaque duodecim Apostolicos viros, Willibordum, Switbertum, Accam, Wigbertum, Wilibaldum, Winibaldum, Lebinium, Ewaldum nigrum, Ewaldum album, Werenfridum, Marcellinum, & Adalbertum. Qui Dominici gregis Arietes, Traiectum appulerunt, anno sexcentesimo nonagesimo: & constanter Christū euangelizando, multos Deo lucrati sunt.

Ex his sanctus Willibrordus & S. Switbertus, communi fratrum decreto electi sunt, ut in episcopos consecrarentur. Quare Willibrordus à Pipino rege